



V, 82.

2.417a



CVRIAM  
REGNITIANAM  
NON. NVLLO. IVRE  
HERMVNDVRORVM  
COGNOMINANDAM  
DISSERIT. VII

---

VT  
QVO. VOTIS. PRO. FELICI. ITV. ET. REDITV  
NOSTRORVM  
SERENISSIMORVM. CLEMENTISSIMORVM. Q  
FRIDERICORVM  
EORVMDEM  
DIE. NOMINALI

D. V. MART. A. R. S. MDCCCLV  
IN

ALBERTINOFRIDERICIANO  
QVA. PAR. EST. IN. OPTIMOS. PRINCIPES. PIETATE  
NVNCVPANDIS  
TESTES. ADSINT. LOCVPLETISSIMI  
CVRIAE. PROCERES. ATQVE. CIVES  
QVO. DECET. CVLTV. CONVOCATVM. EAT  
GYMNASII. RECTOR  
PAVLLVS. DANIEL. LONGOLIVS  
A. M. FAC. PHIL. LIPS. ADSESS. ET. SOC. IENENS. LATIN. SOC. HONORARIVS

---

CVRIAE. REGNITIANAE  
LITERIS. IOANNIS. ANDRAEAE. HETSCHELII  
GYMN. TYP.

## Intersectio II.

## A QVIBVS CREATIS HERMVNDVRORVM NOMEN?

## Index dictorum.

- |                               |   |
|-------------------------------|---|
| §. I. Num ab HIERA?           | §. X. Num ab HEER et MVNTER?                  |
| §. II. Num ab HERCYNIA?       | §. XI. Num ab HEER et MVNDR?                  |
| §. III. Num ab HERT vel HERZ? | §. XII. Num ab ERENMAENNER<br>vel ERENMVNDER? |
| §. IIII. Num ab HERMIONIBVS?  | §. XIII. Num ab HERMIONIBVS<br>et DVRS?       |
| §. V. Num a GERMANIS?         | §. XIII. Num ab vrbe HERMVN-<br>DVRO?         |
| §. VI. Num ab HEERMAN?        |   |
| §. VII. Num ab ERDMAN?        |   |
| §. VIII. Num ab HVRMINGEN?    |   |
| §. VIII. Num ab HEER et MVND? |   |

## §. I.

HIERAM flumen audisse volunt 1.) priscis *Geram*, haud ignobile Thuringiae, Erfurto maximae eius vrbi forte ipsum suum nomen dans, quasi *Hierae vadum*. 2.) Inde *Hiermanni*, *Hiermandri*, *Hieramundri* nati, quos rerum ignari *Hermunduros* dicerent. 3.) Transierim autem in sententiam Weisfii 4.) censentis, *Hermunduros* tam nobilem gentem a fluuio ita parum nobili nomen sibi sumfisse, simile vero nihil habere, nec constare, illud flumen hoc nomine venisse.

## §. II.

Alius 1.) contendit, a filia HERCYNIA natum esse *Hermundurorum* nomen quasi *Harzmanni*. Sed quam leuis 2.) et vix trium literarum est conuenientia vtriusque nominis! Quod si vero ea sufficeret, aliam tamen gentem in Hercynia posuit Tacitus. Is enim tradit: 3.) *Catti initium sedis ab Hercynio saltu inchoant, non ita effusis ac palustribus locis, ut ceterae ciuitates, in quas Germania patefcit. Durant siquidem colles paullatimque rarefcunt; et Cattos suos saltus Hercynius profequitur simul atque deponit.*

## §. III.

- |   |   |
|---|---|
| 1.) Koerberus de Voigtlandia P. I. §. I. p. 4. et <i>Zeit Florirendes Thüringen</i> Cap. I. Num. I. §. 4.                       | 4.) Antiquit. Misnicofaxon. Singular. Cap. I. p. 19.  |
| 2.) Istitis doctoribus.   | §. II. 1.) Ex indicio Weisfii l. c. p. 20. Schumacheri l. c. Iablonski atque Dithmari ad Tacit. Germ. Cap XXXII. Auctoris Singular. Norimb. P. II. p. 11. |
| 3.) Ut censuit Koerberus. Id recensent Weisfius modo nominandus et Schumacherus de Antiquiss. mo Urbis Grimae Statu §. V. p. 7. | 2.) Indice vel eodem Weisfio.   |
|   | 3.) Germ. Cap. XXX. pr.   |

## §. III.

HERT potius 1.) siue HERZ 2.) laudi fuerit *Hermunduris*, si inde dicti. Tantus autem animus, qui nostratibus *Herz* audit, 3.) non solis *Hermunduris*, quin immo omni Germaniae, 4.) Et Lucas 5.) praedicauit:

- - *Populos, quos despicit arctos,  
Felices errore suo, quos ille timorum  
Maximus haud vrget leti metus, inde ruendi  
In ferrum mens prona viris, animaeque capaces  
Mortis, et ignauum rediturae parcere vitae.*

Sed et quorum *libertas* erat *acrior*, quam Germanorum? *Non Sannis, non Poeni, non Hispaniae Galliaeue, ne Parthi quidem saepius admonere illos rerum dominos gentemque togatam. Nam Germani Carbone, et Casio, et Scauro Aurelio et Seruilio Caepione, M. quoque Manlio fuis vel captis, quinque simul consulares exercitus populo Romano, Varum tresque cum eo legiones etiam Caesari abstulerunt.* 6.) Plura taedet adferre in re notissima, 7.)

## §. III.

Si tanta fides Tacito, 1.) *e Manni filiorum vno* 2.) nomine *medii Germaniae priscae populi HERMINONES* 3.) *vocati fuerunt.* 4.) Scribas

K 2

1.) De qua voce Siccama ad Legem Frisionum Tit. XXII. §. XXXVIII. nota (m) editionis Gaertnerianae p. 99.

2.) Cuius variam scripturam conquisiuit Wachterus in Lex. suo h. v. p. 722.

3.) Qui p. 723. illud docuit.

4.) Si vel ad §. VI. prospexeris.

5.) Pharfal. Lib. I. vs. 458. seqq.

6.) Haec Tacitus in German. Cap. XXXVII. fateri haud erubuit.

7.) Cui tamen adhuc ignota, notiora sient ex Capitis superioris Sectionis II. Int. I. Parte priori.

§. III. 1.) Quenam autem, dicas a Iusto Christophoro Dithmaro,

cuius disertatio de Fide C. Corn. Taciti in Rebus Germanorum exstat in Exercitat. Francof. Tom. I. Sect. II. Disf. VIII.

2.) Qui *Hermion* siue *Herman* audierit. Id pluribus agunt Berofum Lib. V. sequentes Althamerus ad Taciti haec, vt et Willichius Conringiusque, Albinus Chron. Misn. Tit. III. p. 26. Arnoldus de *Hermunduris* §. III, qui ad eundem Albinum prouocat, sed perperam ad p. 16. Dan. Mollerus de *Hermannis*, Cluenerius Germ. Antiq. Lib. I. Cap. VIII. Heritius Notit. Vet. Germ. Pop. P. I. Cap. I. §. I.

3.) Quos *Hermiuonos* legendos es-

bas eos cum alio *Hermiones*; 5.) partim intererit, 6.) Aequè perinde erit, si eorum adpellationem ex Teutonum *Herumwoner*, 7.) *Hernwoner* siue *Herwoner*, qui idem ac *Hertwoner* siue incolae terrae, 8.) *Hertinwoner*, 9.) *Hermitwoner* siue *Hertmitwoner*, 10.) *Heermaenner*, 11.) *Heremaenner*, 12.) *Herminwoner* 13.) vel *Hartwoner*, 14.) ortam

se, coniicit Weisshus Antiq. Misnicofaxon, Singular, Cap. III, p. 18. quia reliquae ambae gentes *Isaevones* et *Ingaevones*. Wachterus Glossar. Germ. in Praefat. §. XXXVII, et XXXX eos exarat *Herminuones*.

4.) Quae legas in Cornelii Germania Cap. II. n. 4.

5.) Plinio Hist. Nat. Lib. III, Cap. XIII.

6.) Nec facile haec composueris, cum praeter Secundum et Cornelium adhuc nullus sit inuentus, qui eos praestet. Vide Cluenerium Germ. Antiq. Lib. III, Cap. XXXVI. Iunkerum Geogr. Germ. Med. P. II. Cap. I. p. 99. Conringium ad Tac. I. c. Spenerum Notit. Germ. Antiq. Lib. III, Cap. I. §. VIII, p. 155.

7.) Ab Grotio in Prolegom. ad Procop. p. 25. Dithmaro ad Taciti locum et Hertio Notit. Vet. German. Popul. P. I. Cap. I. §. II, extr. vnde recensita fuerunt in *der Deutsch. Gesellsch. zu Leipzig Beytrag, zur Critisch. Hist. der Deutsch. Sprach.* P. XIII, p. 60.

8.) A Beato Rhenano Rer. German. Lib. III, p. 122. ex indicio Cluenerii, Speneri Not. Germ. Antiq. Lib. III, Cap. I. §. VI. not. (e) p. 152. et Strauchii ad Tac. German. Cap. III,

§. III. quod etiam Dan. Pfeifero in Orig. Lips. Lib. I. placuisse, is indicat. Eo respiciunt Althamerus ac Dithmarus, vt et Albinus Chron. Misn. Tit. III. p. 26.

9.) A Goropio in Beccesalanae Lib. V, p. 460. obseruante Spenero et Strauchio, quod hi interpretantur per *habitantes in medio corde*.

10.) Id Goropio tribuit Cluenerius, cuius originis quoque mentionem inficiunt Iunkerus et Dithmarus citati. Ea in mente habuerit Mollerus Theatr. Chron. Freiberg. Sect. I. Cap. II, p. 14. Indicauerit autem *in medio habitantes*.

11.) Ab Albino Chron. Misn. Tit. III, p. 26. Mollero l. c. Leibnitio ad Taciti verba, quae produxi, in Script. Rer. Brunsvic. Tom. I, p. 9. et denuo in disquisitione de Origine Francorum §. XV. quae disquisitio in *Bev. tragen zur Critisch. Hist. der Deutsch. Sprach.*, quam quondam quidam Societatis Germanicae Lipsiensium diuulgarunt, P. XXVII. ciuitate Germanica donata fuit, p. 474.

12.) Vt scribuntur Hamelmanno de Populis Westphaliae §. 2. in eius Operibus p. 5.

13.) Id autem natum dicitur Wachterio §. XL, Praefationis suae in Glos-

ortam esse, tibi persuaderi patiaris. Id vero huius loci est inuestigare, an aliqua *Hermionibus* intercedat necessitudo cum *Hermunduris*. Sit aliqua, si Plinium audias, *Mediterranei*, inquam, 15.) *HERMIONES*, quorum *Sueui*, *Hermunduri*, *Chatti*, *Cheruscii*. Quanam autem? Quantum ego video, 16.) qualis nationi alicui cum gente sua in uniuersum. Fuerint igitur, 17.) quibus *Hermiones* iidem ac *Hermunduri*, tamquam qui retinuerunt generale nomen; mihi non item. Errasse Plinium, cum *Hermiones* ab *Hermunduris* distinguit, pronunciat Eecardus; 18.) sed vereor, ne potius caeco in suum Leibnitium obsequio, quam rationibus, quarum ne vllam quidem adtulit vir bonus, nisi haec sit, *Hermunduros* existitisse *HERMINONVM* reliquias. Quo pacto autem inde fluit, fuisse vnum populum? Concesseritne hoc argumentum: *Herbipolitani* sunt *Franci*, ergo *Franci* et *Herbipolitani* sunt vnus populus. Vel logices tirones norunt, a specie ad genus, non contra, licere argumentari. Sunt in diuersum, qui 19.) *Hermundurorum* nomen ab *Hermionibus* ortum existimant.

## §. V.

Qui igitur semel sibi persuaserat, *Hermunduros* et *Hermiones* eandem esse vocem, vltius progressus non dubitabat

K 3

far. Teuton. ex *hir*, quod *longus* et *prolixus*, atque *mem*, quod *locus*, vt adeo *Herminwoner* sint *prolixo habitantes*. Inde repetita sunt in *Beiträg. zur Critisch. Hist. der Deutsch. Sprache* P. XIII, p. 61.

14.) Interprete Albino, *die als Mediterranei auff dem harten Lanz de gewonet, vnd weder an den Rhein, See noch Donaw gestoffen, gleich wie die Wigewohner an dem Wasser etc.* praeeunte Willichio ad Taciti locum supra nominatum.

15.) l. c.

16.) Vt etiam viderunt Weisius et Spenerus Lib. III, Cap. I, §. VIII, p. 155.

17.) Leibnitius nota 8. citatus adplaudentibus Koerbero in *Hist. Voigtland, P. I, §. I.* et Iunkero, memoranteque Spenero *Notit. German. Antiq. Lib. III, Cap. III, nota (y) p. 133.* Arnolde de *Hermunduris* §. IV. Dan, Mullero de *Hermann*, *Illustrib.*

18.) De *Rebus Franciae Orientalis* Lib. I, Sect. VIII, p. 6.

19.) Albinus, Dan, Mullerus, Spenerus Lib. III, Cap. I, §. VIII, p. 155. Abellius *Antiq. Teut. et Saxon*, Cap. II, §. XXIII, p. 425. et, qui ei pollicem premit, *Gen. de Falkenstein Antiq. et Memorab. Nordgau. Vet. P. I, Lib. I, §. III, p. 6.*

bat 1.) adfirmare, *quoniam idem sit nomen GERMANI et Hermunduri. Facile enim G et H initiales permutari, ut Hispani Hermannos vocant, quos Romani Germanos. Gallos dicere gand, quod Germani hand vel handfchu, et quod Latini gammaros, 2.) nostros hummer. Laborat autem haec opinio tanto maiori difficultate, quanto latius patuit GERMANORVM nomen Hermionibus. Si feceris cum Tacito, 3.) fuerunt iuxta eos Ingaevones et Istaevones; si cum Plinio, 4.) praeter istos tres Vindeli et Peucini, atque adeo Germanorum genera quinque.*

## §. VI.

Aliquanto propius eset nomen HEERMAN, 1.) quod nomen patrium, quo indicarunt maiores nostri *virum in exercitu strenuum.* 2.) Ea de causa quidam 3.) eos *Hermanduros* scripserint. 4.)

AN

1.) Leibnitium esse noueris, si vel ad notam 17. superioris §. reuertaris, quem et hic secutus est Eccardus siue, ex quo nobilibus adfidere iussum est, ab Eckhart. Vidit hoc versatissimus in Germania, Illustrissimus Comes de Bunau, Hist. Germ. Caes. et Imp. P. I. Lib. I. pag. 34. et Spenerus Lib. III. Cap. III. §. VIII. not. (y) Nec displicuit ista sententia Junkero.

2.) Non *gammanos*, quod in Leibnitianam disquisitionem de Origine Francorum §. XV. ab Eccardo Legibus Francorum subiunctam p. 255. et in huius versione Germanicam supra §. III. nota 11. memoratum irrepsit, se, facile quisque sentit, qui habet aurem.

3. Germ. Cap. II.

4.) Hist. Nat. Lib. III. Cap. XIII.

§. VI. 1.) Quae est sententia Dan. Mulleri de Hermannis Illustr. atque Cl. Arnoldi de Hermunduris §. II. Samuelis Molleri Dramat. Histor. de

Gellis ante Freibergam conditam Penf. I. p. 4. Schmidii Chron. Cygn. P. I. Sect. I. Cap. III. p. 111. Schneideri Chron. Lips. p. 10. ex Hermanni Monument. Mitweident. Lib. I. Cap. III. p. 12. seq. noti, atque Weisii p. 20.

2.) Quis est, qui id nescit, si tamen nesciat, docebunt Mullerus, Arnoldus, Weisius, Althamerus ad Tac. Germ. Cap. XXXVI. p. 399. Wachterus Glosar. German. v. *Herman*. p. 716. immo, qui primo loco nominandus, Lutherus noster de Aliquot Nominibus Propriis Germanorum ad praesentem etymologiam restituitis.

3.) Quos inter nostra aetate inclauit III. Wideburgius de Pagis Vet. Misn. §. I. nota b) in calce Antiquitat. Burggrauat. Misnici P. II. p. 116. seqq. Ita vero quoque exaratum est nomen in Schottelii Opere de Lingua Germanica Lib. V. Tr. 5. p. 1255. et in Beytråg. zur Critisch. Hist. der



Ast enim vero non de Hermunduris in specie, sed in vniuersum de Germanis praedicat Tacitus: 5.) *Cum ventum in aciem, turpe principi virtute vinci, turpe comitatu virtutem principis non adaequare. - - - Si ciuitas, in qua orti sunt, longa pace et otio torpeat, plerique nobilium adolescentium petunt vltro eas nationes, quae tum bellum ali-quod gerunt; quia et ingrata genti quies, et facilius inter ancipitia clarescunt. Nec arare terram, aut exspectare annum, tam facile per-suaseris, quam vocare hostes, et vulnera mereri. Pigrum quin im-mo et iners videtur, sudore adquirere, quod possis sanguine parare.*

§. VII.

Aliis 1.) ERDMAN est origo nominis *Hermundurorum*, quippe quod Cornelius 2.) *indigenas crediderit Germanos*. Sed, quaeso, quis est mortalium, qui non de terra? Qui igitur vnam nationem huius terrarum orbis distingueret, quod omnibus omnino homi-nibus commune? Immo ipse, quem adducunt, Tacitus illud in vniuersum Germaniae incolis, non folis *Hermunduris* tribuit.

§. VIII.

Miror, haud fuisse, qui ex HYRMINGEN Sueviae 1.) *Hermun-duros* peterent. *Hermunduri* enim natio *Sueuorum*. 2.)

§. VIII.

Cum autem isti omnes aut audacius verba transformarent, vt *Hermunduros* suos excluderent, aut multis ac plurimis literis care- rent, quas idem nomen requireret; Wachterus 1.) ea ex parte laudandus, qui ex *Her* 2.) et *Mund* petit, hocque per *hominem* inter-

Deutsch. Sprach. der Deutsch. Ges-  
sellsch. zu Leipzig P. XIII. p. 61.

4.) Ceu iam ex Hofmanni Lexic.  
Vniuersalis Tom. I. p. 760. h. v. ob-  
seruauit Dan. Mullerus nota a)

5.) De Morib. German. Cap. XIII.

§. VII. 1.) Indicibus Mullero, Iab-  
lonski et Singularibus Norimbergen-  
sibus, quibus praeiit Schneiderus  
Chr. Lipsf. p. 10. quem in medium  
produxit Hermannus Monument.  
Mitweidens. Lib. I, Cap. III, p. 12, seq.

2.) Cap. II. pr. Germaniae suae.

§. VIII. 1.) Cuius comites memo-  
rat Albertus Argentinensis Chron.  
p. 106. apud Iunkerum Germ. Med.  
Geograph. P. II. Cap. XV. N. 69.  
pag. 592.

2.) Quibus illos addixi supra Cap.  
I. Sect. II. Intersect. I. parte posteriori.

§. VIII. 1.) Glosfar. Germ. v.  
*Mund*. p. 1099.

2.) De qua voce supra §. V.

interpretatur, quo pacto *Hermunduri* idem forent, qui supra 3.) *Hermanni*. Vereor igitur, ne et haec sententia eadem, 4.) quam ab *Hermannis* vocis incunabula petentium, mereatur censuram.

## §. X.

Isto propiorem esse, 1.) quispiam existimauerit, qui quasi *HEER MVNTER* vel *IM HEER MVNTER* *Hermunduros* dicetet. Tales vero in genere omnes Germanorum priscae, quippe quibus *ingrata quies* sectantibus *incipitia*. 2.) Quid? quod *Cattis*, quae eiusdem gentis, ac *Hermunduri*, natio, *duriora corpora*, *stricti artus*, *minax vultus et maior animi vigor*. 3.) Nonne potius hi *Hermunduri* dicendi, si ista nominis origo?

## §. XI.

Litera distat ab ista opinione vix ac ne vix quidem, quae 1.) ab *HER* et *MVNDER* nomen istud deriuat. Nescio, an ita senserit Beierus, 2.) cuius *Hermunder*, *Hermünder*, *Hermundier*. Haec scriptura fere eadem est, quam supra 3.) ex Velleio 4.) proposui, de qua si constaret, haberet aliquam speciem iste, qui nobis persuadere vult, *Munder* Suecis significare *regem*, atque adeo gentem istam *regem exercituum*. Iam vero *Hermundurorum* populus neque ceteros Germanorum *regens*, neque *regnatus*. Quos enim Tacitus 5.) *Hermundurorum* regum titulo insigniuit, non fuerunt, quales vulgus putat. Idem enim de Germanorum regibus scribit: 6.) *Nec Regibus infinita aut libera potestas*. Quod si autem ista adpellatio innuere debuit, *Hermunduros* omnibus aliis Germanorum gentibus palmam praeripuisse, iniuria est in manes nostrorum maiorum, quorum indolem paulo ante 7.) exposui. Postulauerint eius auctorem in ius *Catti*. Audite eorum patronum Cornelium, 8.) iudice Secundo,

3.) §. V.

4.) §. V.

§. X. 1.) Qualem dari, Mollerus  
Theatr. Chron. Freiberg. Sect. I.  
Cap. II. p. 13. vult.

2.) Quod de Germanis suis pronun-  
ciat Cornelius Cap. XIII.

3.) Tales autem habitus fuerunt  
ab eodem Tacito Cap. XXX.

§. XI. 1.) Ea vero est Cl. Steffenii

Histor. Vet. Incol. German. Cl. III.  
p. 191. seq. in nota k)

2.) Geogr. Ienens. Cap. III. N. IIII.  
p. 71. seq.

3.) Cap. I. Sect. I. Int. II. §. II.

4.) Hist. Rom. Lib. II. Cap. CVI. n. 2.

5.) Annal. Lib. XII. Cap. XXVIII.

6.) German. Cap. VII.

7.) §. III. et VI.

8.) German. Cap. XXX.

Secundo, laudatorem eloquentissimum: *Cattis multum rationis ac sollertiae, praepondere electos, audire praepositos, nosse ordines, intelligere occasiones, differre impetus, disponere diem, vallare noctem, fortunam inter dubia, virtutem inter certa numerare, quodque rarissimum, nec nisi ratione disciplinae concessum, plus reponere in duce, quam exercitu - - Alios ad proelium ire, Cattos ad bellum.*

## §. XII.

Qui *Hermunduriani* nominis natales vsque quaque ex disitis conquiuerunt, nescio, qui praeterierunt, quod in proximo erat. *Hermundurorum* ciuitas, fida Romanis, eoque solis Germanorum non in ripa commercium, sed penitus atque in splendidissima Raetiae provinciae colonia passim et sine custode transibant, et, cum ceteris gentibus arma modo castraque sua ostendebant Romani, his domos villasque patefaciebant non concupiscentibus. 1.) Quantus autem hic honos? Nanciscine igitur potuerint inde *Hermunduri* nomen, quasi *ERENMAENNER* vel *ERENMVNDER*? De vtriusque vocis posteriori parte paullo ante 2.) satis. De *H* isti nomini praefixo haud facile lis moueretur, quippe quae modo abundat, modo deficit a fronte prifcorum nominum.

## §. XIII.

Eodem pasu ambulant, qui 1.) ex *HERMIONIBVS* et *DVRIS* istud nomen compositum volunt. 2.) *Duri* autem ex Taciti 3.) *Tungris* nati videntur.

## §. XIII.

Neque huic negotio faciunt satis, qui *Hermundurorum* adpellationem ex vrbe, pago regioneue *HERMVNDVRO* arcessunt, si vel probarent, exstitisse hoc, de quo quidem omnes silent. Restaret tamen adhuc quaestio, vnde hoc nomen,

L

Pro-

1.) Haectibi ex Taciti Germaniae Cap. XXXXI, in memoriam reuocet.

2.) §. VI. VIII, X. et XI.

3.) Vide vel me supra Cap. I. Sect. I. Int. II. §. VII.

§. XIII. 1.) Abelius Antiq. Teut. et Saxon. Cap. II. §. XXIII, p. 425, feqq.

Gen. V. de Falkenstein Antiq. et Memorab. Nordgau. Vet. P. I. Cap. I, §. III, p. 6, feq.

2.) Improbante iam Koerberero I, c,

P. 5.

3.) Cap. II, Germaniae.

Proxime autem, si Deus aduerit, periculum faciam, an *Hermundurorum* nominis ratio ea dari queat, quae nemini suum auferat, nec tamen vel literae iacturam faciat. Eam enim si hic quoque exponerem, defatigarem lectores legendo, quos audiendis quibusdam cupio, hisque rogatum eo.

GEORGIVS ADAM BRENDEL, quem V. Nob. Christianus Wolfgangus, Principi Serenissimo exigens portorium de transuectis mercibus aequae ac vectigal de macello, ex priori matrimonio in filiis ultimo loco genuit, ludum literarium patriae suae vere per septem et, quod excurrit, annos frequentavit magistrorum suorum dictis audiens adeo, ut, quoad meminimus, nobis cum in gratiam redire ei opus fuerit numquam. Non demum ab eo extorquenda erant, quae ad exarandum proponebantur, quin sponte praestaret, quae non expectaremus. Factum igitur, ut plauderent, qui eum in Martinalibus anni quinquagesimi tertii *de Zuinglio in primis in restauranda doctrina Lutheri aemulo* carmine vernaculo, et superiori anno in natali SERENISSIMAE PRINCIPIS, *in eadem fortes creari fortibus et bonis*, a Venusino submonitus docuit oratione Latina. Qui igitur iam non plauderent *Musas prouocanti* denuo carmine Germanico, ut PATREM MATREMQUE patriae LONGE CLEMENTISSIMOS *sequantur per mare per terras ad istas Italiae Alpes* eorumdem beneficio ad Prudentissimos, qui in Fridericiana Franconica de iure respondent, hinc transiturus?

IOANNES CHRISTIANVS CAROLVS KEISER, quem Christianus Denkbund V. Pl. R. ex agro Dresdensi Misniae Doelauiam Curiae nostrae vicinam delatus verbi diuini Minister Integerrimus tulit ex coniuge perantiquae gentis de Tosfen. His pietate inter se in vicem certantibus, habebat gnatus vnicus, ad quam censuram dirigatur, ad quam conuerteretur. Ea de causa tradiderunt nobis quinque abhinc annis eum ulterius formandum, quod ita cessit, ut tribus ante annis ad primum ordinem traduceretur. Hic haud infelici ingenio praeditus cum pondere dixit semel in memoriam D. Martini primo anno *de ecclesia sanguine plantata* Latino ore, quo etiam deinde in PATRIS patriae CLEMENTISSIMI natali anni proximi *de fastorum cura principii digna*, tertium tertio, quo primae clasfis fuit, anno in MATRIS patriae CELSISSIMAE natali de EIVSDEM *diligentia plane singulari*

*gulari calcari fortissimo ad industriam Musarum cultoribus vernacula, qua et nunc quartum de Theologiae studiosis Deo deuotis, Lipsiam illud frequentissimum Saxoniae superioris emporium tamquam ad mercaturam bonarum artium profecturus liberali viatico Amplissimi Senatus nostri, vnde inanem redire turpissimum esset dedecorantem et academiae celeberrimae auctoritatem et magistrorum eius in quavis disciplinarum genere verfatissimorum.*

CAROLVS FRIDERICVS KIRSCHNER, quem natu tertium filiorum V. Pl. R. Ioannes Georgius Nemmersdorffii ad radicem montis, qui vulgo Pinifer minus accurate audit, agens animarum Pastorem Vigilantissimum, ex illustri Christianeruestino sequi iuebat fere ante binos annos generum suum V. Praenobilissimum Carolum Christianum Koenigium, Serenissimo Principi a commissionem consilii atque tum a iudicii prouinciae Curianae secretis Splendidissimum, iam aequae a secretis per Burggrafiatum superiorem rei venaticae, qui, cum omne tempus perire arbitratur, quod studiis non impertitur, adolescentem sibi tam arcto necessitudinis nexu iunctum horam perdere pateretur? Eo igitur auctore FRIDERICOS sibi CLEMENTISSIMOS carmine Teutonico *nominum principum in fastis coruscantium rationes reddente* coluit, cum hic ipse dies priori anno vota gymnasio dicitaret, quae iam pro OPTIMORVM PRINCIPVM incolumitate soluit et in futurum nuncupat, Latina oratione praedicaturus *calcar probitatis atque industriae acerrimum, si sunt principes, qui istis ornatos muneribus publicis praeficiunt.* Eo itidem confusus Venerando Theologorum ordini Fridericianae nostrae sacro muneri praeparandum permittit carmine Germanico se de meliori commendaturus.

IOANNES THOMAS FIKENSCHER, patre Ioanne Georgio Wolfgango, Aereomontii ciue corticibus arborum coria perficiente, probro tamen viro genitus, qui ante septem annos in Curianum delatus fuit, multum in eo consecutus est, quod per integrum quadriennium a Viro Summe Reuerendo rerum sacrarum hic loci Antistite longe Grauisimo gymnasiique illustris Inspectore Prudentissimo, non famuli sed filii loco fuit habitus, vnde et iam oratio Germanica de *praerogatiua contubernii eius modi principis viri* ei nata, qui omnium suffragio accinctus est militiae sacrae tantis, qui ornant Fridericianam patriam, magistris addiscendae.

Insigne

Insigne autem isthoc beneficium acuebat liberalis indolis adolescentem ad pertinacissimam industriam et in schola et in alto isto pinguique museo. Hinc in se numquam passus est quidquam deesse, si suo Marte aliquid edendum, Secundi sui memor, hoc fore perpetuo suum, nec umquam destitutum, si semel coeperit. Inde prae ceteris per istud triennium, quo infedit superioris auditorii sublellis, publica venae poeticae documenta dedit multa, pro rostris autem scholasticis tot, quot ibi transegit annos, primum vernaculum, bina posteriora Mantuana. Isto cantabat in Martinalibus *florentem ecclesiae statum purioribus sacris redditis*; hoc alias *temporis pernicitatem*, alias *culum feminae principis* PRINCIPIBVS MUSIS INDVLGENTISSIMIS natalem feliciter redeuntem gratulatus.

IOANNES GEORGIVS KAPPIVS, Ioannis Kozauiae superioris ciuis et mercatoris haud ignobilis superstes filius ex tribus medijs a vitrico Ioanne Georgio Scherzero Palaepolis nostrae ciue honesto diuersoriam tabernam frequentatissimam habente ad gymnasium adductus fuit, quod alma mater magni istius Philyreiae luminis Ioannis Erhardi Kappii. Felix igitur, qui, si Rednitianae Eusebiae litauerit, in istius sinu confugere potest, quod eius oratio Latina docebit, *fretus partibus, quae sunt praecipuae eius, cui in suorum propinquorum contubernio academica exantlare contigit*, quibus expositis carmen aequae Latine erit monumentum grati animi in Albertinofridericiani Serenissimum Nutricium, Maecenates gratiosos, liberales Fautores, fidos Praeceptores. Succinctus iam vel vt ritu Gabino septem annos praebuit aurem magistris suis assiduo et percepta reddidit stilo promte, immo et publice anno ineunte superiori suasit Latine, vt *secreta literarum, quae ignorabant maiores nostri Cornelio teste, ignorarent exemplaria paganae superstitionis versantes Christianarum scholarum alumni*, et post menses quatuor Germanice templi aulae Baruthinae paullo ante inopinato incendio combusti refectio-nem breui augurabatur oraculorum diuinorum futurus aliquando interpres, quod Deus bene verat.

Ego vero hos ex auctoritate superiorum bonis admonitionibus scholae legibus soluam, post quam *vocis Oesterreich rationem reddidero secus, ac vulgo fit, ex vicinia nactus ansam*.

Yb 4473

1078

ULB Halle

3

006 302 904




20









B.I.G.

Farbkarte #13

CVRIAM  
 REGNITIANAM  
 NON. NVLLO. IVRE  
**HERMVNDVRORVM**  
 COGNOMINANDAM  
 DISSERIT. VII

VT  
 QVO. VOTIS. PRO. FELICI. ITV. ET. REDITV  
 NOSTRORVM  
 SERENISSIMORVM. CLEMENTISSIMORVM. Q  
**FRIDERICORVM**  
 EORVMDEM

**DIE. NOMINALI**  
 D. V. MART. A. R. S. CIOCCCLV  
 IN

ALBERTINOFRIDERICIANO  
 QVA. PAR. EST. IN. OPTIMOS. PRINCIPES. PIETATE  
 NVNCVPANDIS  
 TESTES. ADSINT. LOCVPLETISSIMI  
 CVRIAE. PROCERES. ATQVE. CIVES  
 QVO. DECET. CVLTV. CONVOCATVM. EAT  
 GYMNASII. RECTOR  
**PAVLLVS. DANIEL. LONGOLIVS**  
 A. M. FAC. PHIL. LIPS. ADSESS. ET. SOC. IENENS. LATIN. SOC. HONORARIVS

*CVRIAE. REGNITIANAE*  
 LITERIS. IOANNIS. ANDRAEAE. HETSCHELII  
 GYMNI. TYP.